



Scientia Sanctorum

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

Puente, Luis de la

Dilingæ, 1685

16. De prosectione Beatæ Virginis in Bethleem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60561)

MEDITATIO XVI.

Profectio B. Virginis in Bethleem ex Nazareth.

PUNCTUM PRIMUM.

Quod Christus destinato consilio suum in mundum ingressum ita disposuit, ut esset illius modus nobis quidem ad exemplum quam utilissimus; ipsi verò ad ferendum permolestus & gravis. Unde extra Nazareth nasci voluit, ut qualicumque domestica commoditate nascens privaretur. I. nunc, qui tam studiosè tuas commoditates confectaris.

Extra patriam nascitur

PUNCTUM II.

Occasio profectiois extitit tributum à Cæsare indictum, & is quidem ambitione, ad ostentandum imperium, & cupiditate auri ducebatur, in edicto promulgando: Christus autem humilitatis & subjectionis exercendæ inde occasionem sumpsit, ad exemplum. Quidni ego subiciam me omni humana creatura propter Deum?

Occasio.

1. Pet. 2. 13.

PUNCTUM III.

Ratio itineris, singulari totius oris modestia procedebat Virgo, mente in illum, quem gestabat, defixa, tacitaque cum illo loquens, aut de illo cum Iosepho: non gravabat sacra sarcina gestantem, sed sublevabat; ac propinqua fruendi

Ratio itineris.

N

fruendi

fruendi illo, spe vires reficiebat: cum alioquin
sat proluxa & difficilis via, asperitasque hyemis
teneram Virginem fatigarent.

PUNCTUM IV.

Hospitio excluditur.

QUOD hospitio excluditur. *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Jam tunc illud implebatur: *Vulpes foveas habent, & volucres caeli nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Quin vulpes astuti, & cupidi homines à suis foveis Christum excludunt: volucres autem superbi & nobiles à suis nidis, ut stabulum subire debeat, ubi *bos & asinus cognoscant possessorem suum*, mites ac humiles repellunt, quia non agnoscitur. O si cognovisses, & tu, quàm sæpè Dominum repellis à te, quoties pulsanti non aperis!

MEDITATIO XVII.

Nativitas Christi.

PUNCTUM PRIMUM.

Exultās prodit.

Pf. 18. 6.

Dona pro hospitio.

QUOMODO, imminente nascendi tempore, quod nec prævenire, nec prorogare Christus voluit, *Exultavit, ut gigas ad currendam viam*, & illam quidem asperam, ac difficilem, ab ipso primo ortu ad exitum usque, à summo usque ad summum, ab utero ad crucem. Deinde, hospitium suum, uterum Matris, Rex tantus haud reliquid indonatum in egressu suo, quare tunc ineffabili luce ac lætitia Matris suæ animam perfudit.